



2b. 15



Quæ res rectè vortat mihi

Reique publ. literariæ Qvi-  
ritibus,

POESEOS PROFESSOR,

DEO AUCTORE

*Incluti Senatus & Academ: suffragatione,*

Serenissimo Electore Branden-

burgico album calculum adjiciente,

constitutus

M. PAULLUS FRANCUS ☉

ad

INAUGURALEM ORATIONEM

ceu Proerosia,

*Singulos universosq; Academia Cives  
perhumaniter invito.*

Synesius fine libri de Insomniis.

*Ἀγαθός ἐστι φύλαξ, ὅταν κατὰ θεόν τι πεισέεται.*

Typis Hartmannianis.

ANNO CHRISTI.

---

∞. 10. CXXI.

## Multam & jugem Salutem.

**Q**uod de Libya olim cecidit in verberbium, Αει Φέει Διόν καυόν, ut  
consignarunt Aristot. Vlll. hist. an. c. 28. f. & ll. de gen. a-  
nim. c. 7. m. Athenæus lib. XIV. p. 623. Plin. lib. VIII.  
c. 16. id de vicino nob. regno quam verè usurpet Bonfinius, Ungari-  
carum rerum scriptor lib. II. Decad. 3. p. 389. cum ait: Ut Africa, semper  
aliquid novi apportat Bojemia, Sole clarius singuli hætenus demonstra-  
runt dies. Quæ n. inde non portenta & monstra? quæ non bella, quæ non re-  
bellia? quæ non tormenta, qui non calfacti carceres? quæ non urbium vicorūg  
exterminia? quis non furor totum, quæ patet regnum, quodam quasi diluvio  
& inflammatione corripuit? quis non turbo insanie toto furore in illa de-  
tonuit arena? ut planè videatur nescio quid deliberare fortuna, quæ nullæ et-  
jam spe meliore regni lugentis vultum serenat: neq; consuevit aliter: Impe-  
rantium n. impetus & potentia non quiescere solet, nisi divina hu-  
manaque pro suo lubito mutarint: notabat Nicetas Choniates lib. II. I-  
saac. Angel. c. 4. Muse, quas olim Mars reverebatur, adserente Diodoro  
Sic. lib. V. c. 31. Musarumq; cultores, sacra ut taceam, quantum intertri-  
menti acceperint; instructissima Bibliotheca, in quarum fronte olim Olyman-  
duas Ægypti Rex illustris prescripsit, Ψυχῆς ιατρείον, ANIMI MEDICA  
OFFICINA, iterum adtestante Diodoro lib. I. c. 49. quot & quanta Vulca-  
no diripiendæ ab hominibus plus quam barbaris datæ fuerint, non sine gemitu  
inaudiunt quotquot liberalibus operantur studiis Monarchiam quandam no-  
vam punctorio, in mantis crepidine proxime Pragam invito, sua natalia defer-  
re, nunciij increbrescunt; & jam fana, æternum ejus rei monumentum, in edi-  
ficanda, jam altaria erigenda, & quotannis ea propter sacra statis diebus fa-  
cienda: ut hinc presagiat animus atq; auguret quodammodo, qui in posterum  
futuri sint eventus: Nimirum post vindemiam racemationem super-  
stitem, ut loquitur Tertull. in Apologetico c. 35. Cum n. in Germ. Rom.  
Imperio omnia discordent, & conclamata jaceant, ubi idoneam ad perpetranda  
sua cogitata, cogitata autem? imò sapissime dicta & scripta, tempstatem  
viderint superiores, ignem metuuntur tantum sufflaturi, cujus fumus univer-  
sa Ger-

ſe Germania excuſſurus ſit lacrimas. Hac atq; compluria ( nam inexputabilis eſt numerus ) undiquaq; afferuntur, ut ſi quis hodie in tam arto ſalutis exituq; conſiſio quid novi adgrediatur, ei jure merito illud Platonicum ſomma, in Agrigentinos, ſubſtructiones inſanas impendio excitantes magnifico, dictum, occentari queat: Τῆς Ἀρετῆς γυναικὸς οὐκ ὀδοῦ εἶναι μὲν ὡς αἰεὶ βιωσούμεν, δεῖν δὲ, ὡς αἰεὶ τὸ θνήσκειν, Cœlius Rhod. lib. XIII. c. II. aut ut deputat Tertullianus lib. de Pallio c. 39. Diogenianum in Megarenſes: Obſonant quaſi cratiſtina die morituri, ædificant verò quaſi nunquam morituri. Quid ergo? Jamne interea loci ſalutem noſtram temere deſperandum eſt? Jamne de vera religione & libertate noſtra actum eſſe, fortunaſq; in extremo ſitas, nobis autumandum? Equidem hæc facere religioſi omnibus, qui Chriſto nomen profeſſi ſunt ſuum. Quin potius Dei verbera æquis animis ferre, & medicinã ab eodem audecet opperiri. εἰ γὰρ ἡγὶ οὐδὲ τὰ τῶν ἀσθενῶν, ἀλλὰ ἡγὶ ἰατρῶν τῶν φιλοφιλῶν. Nam ut agebat olim Euſtathius Episcopus ad ſuos Theſſalonicenſes, ubi eos pariſſima crudelitate Siculi victores urebant, ſi sæpè percutere, at ſæpiſſimè etiam mederi conſuevit: præſertim ſi quis leniter & cum gratiarum actione moleſtias perfert, neque ob acerbitatem earum eum, à quo proficiſcuntur, odio perſequitur, nec cum Providentia expoſtulat: nec judicii divini profunditate rejecta, in ſecundis duntaxat rebus & proſpero fortunæ flatu, bonum ſe præbere didicit: quæ auro contrã habenda ſunt Nicetæ verba libr. I. Andronic. Comn. c. 9. p. 334. Dabit Deus, modo non permitamus nobis ad ſalutandum eum eſſe ſegniſſimus, ut iterum, quaſi caca beſtia, incaſſum hiaſſerit hoſtis, planè ut retrò factũ non ſine ſolido gaudio & legimus & invicem enarramus. Cum enim anno æræ Dionyſiane MDXXCII. quem Climactericum Mundi prædixerunt Chronologi, CLASSIS illa quæ uſurpabatur INVINCIBILIS, turribus, caſtellorum adinſtar, non ſine Oceani gemitu, ſublimis, quaſi uno ic̄tu totam Angliam, & omnes qui hujus aura animabantur, Belgas peremtura videretur: adeò ut etiam triumphum ante victoriam caitis libris Bernardinus Mendoza mendaciter & vaniſſimè cecinerit: in Numiſmata ex Angliã miſſa cum claſſe paſſis carbasiſ fugiente & hac inſcriptione: VENIT, VIDIT, FUGIT, ut illuſtris rerum Anglicarum ſcriptor Cambdenus hac de re p. 518. legendus juxta

ting, animus adversus fortuna iclus corroborandus, ut qui vis, quam cepit,  
provincia sua intrepidus, quamdiu supersit praesse fideliter studeat. Proinde  
cum DEO sic dirigente, suffragiis Senatus Academici, qua Potentiss. & Sere-  
niss. Elector, Dominus noster Clementiss. rata habuit, mihi Poësis Professio  
demandata sit,

(procul atra recedat,

Invidia, atque alio liventia pectora flectat,

ut Papiianis utar verbis, ex 4. Silv. 8.) animo presenti in arenam meam  
descendam, in eaq, quantum potero prestabo, quasi nunquam, has enim preces  
D.F.O allegabo, interturbandus. Verborum auro segmentatum & Oratorum  
lectybis perfusum scribere Programma, animisq, Studiosorum amore Poëta-  
rum flagrantibus, veluti faces addere, superforanei est laboris, non secus ac si  
quis accensu luminum claritudinem diei gestiatur adjuvare. Bestia saepe im-  
manes cantu flectuntur atque consistunt: nos instituti rebus optimis  
non Poëtarum voce delectemur? aiebat summus orator pro Archia-  
cap. 8. Imp. Diocletianus & Maximilianus Tiberio scripsere: Artem Ge-  
ometriae discere atque exercere publice interest: l. 2. C. de malef. &  
mathem. Imò apud Gracos turpissimum erat eam nescire, si Demosthe-  
nem audimus in Amatoria pag. 163. Rectè. At scire quæ recta sit linea,  
quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras, inquit gravissimus  
Scriptor Seneca ep. 88. Metiri te Geometres docet latifundia; Poëta, quomo-  
do metiaris, quantum homini sit satis, & quomodo ea cum fratre divides. Nume-  
rare te docet Arithmetica, & avaritia commodare digitos: Poëta, nihil ad  
rem pertinere istas computationes, nec esse feliciorum, cujus patrimonium ta-  
bularios lassat: ad solam lato & lato limite ducere gestit virtutem, illaq, bona,  
quæ non sursum prorsum eunt, & mox alium atq, alium dominum sortiuntur.  
Hujus rei testem laudo omni exceptione majorem D. Basilium, qui in Orat.  
de leg. Græc. script. p. 227. Πᾶσα μὲν, inquit, ἢ τοῖσιν τῷ ὀνόματι δεινῶς ἔστι  
ἐπὶ αὐτῷ, καὶ τὰ αὐτῷ περὶ τοῦ Φέγγ' ὅ, ἢ μὴ τὰ εἰρηρῶν. Omnis Poësis Ho-  
meri, laudatio virtutis est, & omnia ipse eò dirigit, nisi quid ornatus  
caussa accedit. Lycurgus Orator unus ex X. illis in Gracia, Athenienses com-  
memorat in Orat. advers. Leocratid. pag. 165. legem sanxisse, ut semper  
Quinquatribus solius Homeri carmina concinerentur. Gracis enim ea illicita  
non ad

um ad pulcerrima opera, intelligebant: idēq; merito. Οἱ μὲν γὰρ νόμοι, *subiicit* Orator, ἀπὸ τῆς σωτηρίας ἢ διδάσκουσιν, ἀλλ' ἐπιτέλλουσιν αἱ δὲ ποιεῖν. οἱ δὲ ποιηταὶ ἢ μιμηταὶ τὸν ἀνθρώπινον βίον, τὰ καλλίστα τῶν ἔργων ἐπιλέξαντες, μὴ λόγῳ καὶ ἀποδείξει τὰς ἀνθρώπους συμπεύθουσιν. Leges enim ob brevitatem suam non docent, sed imperant, quæ fieri oporteat: Poetæ autem imitantes humanam vitam, præclarissimas res feligentes, cum ratione & demonstratione mortalibus persuadent. *Quod si Poeticam eloquentiam cum canina illa, sicut veteres dixerunt, facundia contendas, longe illam dignatione hanc antecedere, clusis vel in totum Homericis oculis liquet.* Nam ut loquitur auctor *Dialogi de Oratoribus*, cap. 12. lucrosa hujus & sanguinantis eloquentiæ usus recens & malis moribus natus, atque in locum teli repertus. Poetæ verò & vates benefacta canunt, non malè admissa defendunt. Nemora & luci & secretum ipsum tantam his adferunt voluptatem, ut inter præcipuos carminum fructus numerent, quòd nec in strepitu, nec sedente ante ostium litigatore, nec inter sordes ac lacrimas reorum componuntur, sed secedit animus in loca pura atque innocentia, fruiturque sedibus sacris. *At nos qui in foro veris que litibus terimur, ingennè fatetur lib. 2. ep. 3. Plinius Secundus*, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus. *Poëtam esse, omnium homini, cujuscunq; sit ordinis & ætatis, ornamentum est: At causas agere, viri non subrostrant & proletarij, sed dignitate præditi, & cui ea non inanis umbra & sine honore nomen, insigne olim erat de honesta amentum.* Nam ut iterum *Plinius lib. 1. ep. 23.* Deforme est, cui assurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus sedentibus stare: & qui jubere posset tacere quemcunq;, huic silentium clepsydra indigi: & quem interfari nefas esset, hunc etiam convitia audire; & si inulta pateretur, inertem, si ulcisceretur, insolentem videri. *Et si verò ad multiformes in vita humana redundet Poesis fructus, certò etiam constat, in rebus nihil mali esse, nisi ex accidentia abusum: ita enim S. Maximus, Cent. 3. sent. 4. & δὲν ἐν τοῖς ἴσιν κανόνι, εἰ μὴ ἢ ἀπεργάχουσιν, despiciantur tamen ducitur multisq; à multis ἄχθεται καὶ ἀποσπείρεται.* Plato ubi *Poetas e Republ. sua rejecit* (in qua magnum ostentum factum est: quod illa florente nec

bruma, nec ver, nec æstas, nec autumnus fuit: quod nemo in ea præn-  
dit, nemo somnum vidit: quæ Ciceronis dictoria in Vatinius & Canini-  
um diales & λογοθεωρήτης Consules lib. 3 ep. 30. & ap. Macrobi. lib. 2 sat. 3.)  
conclulit. Φαύλη ἄρα Φαύλω ξυγλιγοῦρα Φαῦλα ἤννα ἢ μιμητική. Vilis er-  
gò imitandi facultas vili cuidam se commiscens, vilia procreat, lib.  
10. de Rep. p. 754. & post Imitatorem Poetam dicimus perversam  
in animum cujusque rempubl. inducere, dum illi blanditur parti,  
quæ sine mente est. Zeno, qui Stoica secta conditor usurpatur, dicebat ad  
perceptionem disciplinarum nihil esse alienius poetica, adnotante Las-  
ærtio lib. 7. p. 453. Apud Suidam sub voce Ἀδὰμ, ait non nemo, veram sa-  
pientiam, quod Aratus in Phænomenis v. 133. de Justitia cecinit, in cœ-  
lum unde descenderat, subvolasse: atque hinc adulterinam illam,  
mendacij obstetricem poësin, Græcanicarumque nugarum fabulo-  
sam exortam esse pompam: τὴν τῆς ψεύδους λοχεύτριαν ποίησιν, τὴν τῶν ἐλ-  
λωικῶν ληρημάτων σεμνομυθίαν. Mendacii reos deferunt Poetas passiva &  
pervagatissima Phæscasiatorum, Togitorum, & Germanorum proverbialia. Ἡ  
παλαιὰ παρρησία ἔχει, ὅτι πολλὰ ψεύδον ἰαοῖδοι. Recte habet Proverbi-  
um vetus, Poetas in multis mentiri, legitur in notio Platonis de justo  
dialogismo p. 1310. & summi in Philosophia Dictatoris calculo approbatur,  
I. Metaphys. c. 2. §. II. Philo Judæus lib. quod mundus sit incorruptib.  
p. 730. Ε. μυθουπλάστῃς vocat Poetas, qui mendaciis vitam replent, veri-  
tate profligata è lare & urbe, atque etiam è singulorum pectoribus,  
excogitatisque speciosis versibus ac metris ad illicitos fatuos, eo-  
rum bibulas aures lepido susurro permulcent & frustrantur. Pinda-  
rum, Lucianum, Isidorum Pelusiota, Synesium, Theognidem, aliosq; magno  
numero etiam antequam Theognis nasceretur, idem asserentes, referre super-  
sedeo. Quid Poetæ cum fide? inquit Plinius lib. 9. ep. 33. & lib. 6. ep. 21. f.  
Poetis mentiri licet. Dido ob injuriam pudicitie suæ Maronis versibus illa-  
tam, apud Ausonium epigr. CXL. quiritans exclamat:

Falsidici vates, temerant qui carmine verum.

Vernaculum verbum subdere, necesse non habeo, ne decantatum Græcorum au-  
diam veriverrbum, Διὸς κόρυθ. Epicuri de grege porci, inertia patroni, i-  
gnorantia



ignorantia candidati, hasce fœtidas erumpere voces ausi sunt, ut diffinitè di-  
stinctèq; designavit lib. 1. adversus Mathematicos c. 13 p. 57. Sextus Em-  
piricus: Si quis diligentius examinaverit, inveniet quæ scribuntur à  
Poetis, esse longè deteriora, quam quæ vulgus opinatur. Et pag. 59.  
ἢ ἀνωφελεῖς ἢ ὀλιγοφελῆς Poetæ, aut plane inutiles sunt, vel non mul-  
tum utiles. Et mox: Quod ad Poetas attinet, pœsis non solum est vi-  
tæ inutilis, sed etiam maximè noxia: Ἡμεῖς ἵσχυμα γὰρ ἀνθρώπων τὰ φῶν  
καὶ ἔσθηε, affectuum enim humanorum veluti quoddam propugnacu-  
lum est. Hec illi. Sed Et in Ecclesia Tertullianus Apologetico c. 14. Poetas  
omnes quasi capitis anquirit, Et divina Majestatis accersit inquiens: Quis  
non Poeta ex auctoritate principis sui dedecorator invenitur Deo-  
rum? In tertia nuperrimi Evangelij parabola D. Hieronymus ad Damas.  
fol. 57. Siliquas carmina Poetarum interpretatur, Et Rhetoricorum pom-  
pam verborum, quæ nihil aliud nisi inanem sonum & sermonum stre-  
pitum suis lectoribus tribuunt: ubi nullà saturitas veritatis, nulla  
refectio justitiæ reperitur, Philautiam, quæ Musarum filiis objectari solet  
ex Aristot. 4. Ethic. 1. & 9. eor. c. 7. Ciceron. 5. Tuscul. cap. 22. lib. 14.  
ad Att. epist. 23. mitto. Illud addo quod gnarum cuiusvis hodiè, sicut de seculo  
suo conquestus Isocrates in fin. Orat. ad Nicocl. pleròq; omnes utilissima  
quidem judicare pœmata, ea tamen cum lubentia neminem audire Et pellege-  
re. Quod si quem carminum quandoq; subit voluptas, novellis tantum inbare, &  
antiquitatis, quæ nobis semper, si sapimus, adoranda est, Macrobij suf-  
fragio lib. 3. Saturn. cap. 14. quod aliis est caput 10. lib. 2. tam ignarus  
quàm contemptor, ut si in circulo doctorum auctoris veteris inciderit  
nomen, piscis aut edulii peregrinum esse vocabulum arbitretur, ut  
mibi liceat hac verba accommodare, quæ de advocatis avi sui pronunciavit  
Ammianus Marcellinus lib. 30. c. 15. Alij cum nihil inde unguinis excoquere  
queant, Momo amuti, qui Venerem cum carpere non posset, sandalium  
ejus obtrectasse perhibetur à Philostrato epist. 21. p. 890. etsi falsis insi-  
mulare criminationibus Veneres poeticas nec possint nec velint: parvos ta-  
men vatium penates Et larem angustum convitiis per satiram verberant,  
quasi cum Saturione Plautino in Persa act. 3. 1. 66. nil nisi aliquot ex artis  
sua

in libris logos liberis doti habeant dicere: sub Homeri exemplo, qui ad incitatus  
reductus, Cypriis suis carminibus filiam dotasse memoratur, si *Ælianū* fides nō  
defecit, l. 9. var. hist. c. 15. Sed ego quid de pœsi isti atq; alij sentiant, manum  
non vorterim. Nihilominus cum talia immortalitatis atq; poëtices candidatū  
forte an sufflaminare possint, revocantib. & receptui canentib. tot auctoribus:  
omnia tam falsa, tam nihili, tam inania, aut minimum aliena ostendā ut quasi  
manu prendi vanitas eorū possit, idq; ne post festum, quod vetus habet adagio,  
ep. Diogenianū Cent. 5. 73. si Deus & cum qua agrè hactenus mihi in concor-  
diam redire licuit, Hygeia voluerint, proximo die Jovis Oratione publica: ad  
quā audiendā, Vos ut MEGISTANES & FLORES ACADEMIÆ frequen-  
tes in Philosophorum acroaterium hora IX. conveniatis, benevolentia  
amq; presentia vestra non gravatim ostendatis, omnibus precibus eo petitur.  
Rectè valete, & geminum hoc ingeminate votum, Theocrisicum alterum pro  
Poëtis, Idyll. 16. v. 19.

Ἰεοὶ τιμῶσι τοὺς ποιητάς, Dii benefaciant Poëtis:  
alterum pro vobis Aristophaneum in Eirene p. 705.


Ὡ πότις εἰρήνη δάμνασον τὸν βίον ἡμῶν.

O Dea Pax tecum da posse extendere vitam.

Iterum valete. Publicè propositum die, qui D. Johanni, Prophetarum, jux-  
ta Basilium Seleuciens. Orat. 18. p. 173. apici, legis perfectioni, veteris  
simul ac novi fœderis sequestro, sacer putatur Junio mense jam in Quin-  
silem proclivi, contra Alexandrina Ecclesia, quarto post Christum seculo  
lo, observantiam, ut accuratissimè condocet Calvisius

in *Introduct. ad Chronolog.* ipso fine

capp. 13. & 48.



*Ja 666*

**ULB Halle** 3  
002 177 021




*5b-700*

*V017*

*MC*







Etè vortat mihi  
l. literariæ Qvi-  
ritibus,  
**PROFESSOR,**  
VICTORE  
*cadem: suffragatione,*  
lectore Branden-  
alculum adjiciente,  
stitutus  
**US FRANCUS** ☉  
ad  
**M ORATIONEM**  
*roerosia*  
*sq. Academia Civis*  
*niter invito.*  
ibri de Insomniis.  
*υνατά θεόν τι πισεύεται.*  
**mannianis.**  
**CHRISTI,**  
**CXXI**